

DIVUS AUGUSTINUS DIVO THOMÆ,

Ejusque Angelicæ Scholæ secundis curis conciliatus,

In quæstione de Gratia primi Hominis & Angelorum.

Editio multo auctior, magnaque rerum accessione illustrata, & contra nonnullos obscuros prioris impugnatores vindicata, asserta, confirmata.

CAPUT PRIMUM.

Consilium Auctoris, operisque conceptus.

II.
Primum D. Augustini principium expenditur; primaque inde, pro gratia efficaci Hominis demonstranda, conclusio elicitur.

III.
Alterum expenditur Augustini principium, ex quo eadem conclusio colligitur.

IV.
Idem ex tertio Augustini principio demonstratur.

V.
Idem ex quarto Augustini principio confirmatur.

VI.
Idem ex quinto principio colligitur.

VII.
Idem probatur ex sexto principio.

VIII.
Insignis proferitur Augustini locus, & contra nonnullorum cavillos defenditur.

IX.
Alia D. Augustini testimonia proferuntur.

X.
Novo Augustini Oraculo Fulgentii testimonium adnectitur.

XI.
Rationibus Theologicis agitur ab Augustino delibatis. Prima ex Oratoris necessitate petitur, & Gelasii R. P. auctoritate defenditur, confirmatur.

XII.
Altera ex gratiarum actione petita ratio producitur.

XIII.
Tertia ex virtute humilitatis desumpta ratio subjicitur, & contra nonnullorum objecta defenditur.

XIV.
Postrema, de sugienda presumptione, ratio ventilatur.

XV.
Nova ex natura gratie efficacis ratio petitur, præ-

sertim adversus eos, qui eam in delectatione vitæ hinc positam volunt.

XVI.
Celeberrima de Divinis auxiliis Congregationis iudicium, de agitata hæctenus controversia, recitatur.

XVII.
Potissimum adversæ sententiæ fundamentum evolvitur. Augustinum efficacis gratie necessitatem, non ex sola naturæ corruptione petisse, demonstratur.

XVIII.
Non esse efficacis gratie necessitatem ex sola humana naturæ corruptione derivandam, certis considerationibus, atque exemplis ab Augustino datis, ostenditur.

XIX.
Que secum adversa sententiæ ferat incommoda, quas principiorum suorum, dogmatumque antilogias.

XX.
Celebris D. Augustini cum Monachis Aduemetinis disputatio refertur, unde tam speciosa adversæ sententiæ probatio petitur.

XXI.
Argumenti ex Augustini cum Monachis disputatione desumpti subtilitas denudatur: Vana quorundam in eo iactando gloriatio retunditur.

XXII.
Certa D. Augustini mens aperitur: recta duplicis adjuvantis intelligentia traditur: vera humane nature statuum differentia declaratur.

XXIII.
Augustini adversus Monachos disputantis summa doctrinae capita minutim, ac singulatim explicantur, & ad D. Thomæ sententiam reducuntur.

XXIV.
Alia exponuntur Augustini sententiæ ex hac eadem adversus Monachos Aduemetinos disputatione, delibata.

XXV.
Postremæ, adversus datas solutiones, objectiones occupantur.

XXVI.
Novus quorundam scrupulus eximitur.

DIVUS AUGUSTINUS DIVO THOMÆ,

EJUSQUE ANGELICÆ SCHOLÆ

SECUNDIS CURIS

CONCILIATUS,

*In Quæstione de Gratia primi Hominis
& Angelorum.*

CAPUT PRIMUM.

Consilium Auctoris, operisque conceptus.



E Gratia primi Hominis, & Angelorum dicere instituenti, non est mihi animus, de intima divinatorum auxiliorum efficacia, adversus Molinæ Discipulos disputare; & unde originem habeat, diligentius inquirere. Istud argumenti genus,

ut in Scholis tractare Pontificio interdicto vetitum est, ita nec velim attingere disputando, sed pio silentio religioni litare. Cum nonnullis, iisque pauculis Augustinianæ Scholæ Professoribus mihi sermo est; qui cum gratiam a se ipsa, atque ex intimis efficacem, ad singulos pietatis actus necessariam fateantur, totisque viribus in statu naturæ lapsæ adstruere aditantur, & Molinianos, quod eam negent, acriter infectentur; ubi tamen de statu naturæ innocentis sermo venit, nullam id genus efficacitatem agnoscunt; sed eam tantum gratiam homini necessariam profitentur, cujus efficacitas ex humane voluntatis assensu, vel dissentiu suspenditur. Arque ita de statu naturæ lapsæ dum agunt, Thomistæ sunt; de natura innocentis dum disputant, Moliniani: verius forte dixerim, nec Moliniani, nec Thomistæ; qui neutrius Scholæ principis stant firmiter, atque constanter, dum utramque ex parte sectari videntur. Exemplo huius, qui cum Senatorem Monachi cucullo induisset, utriusque iacturam fecit: de quo idcirco per derisum ferebatur, & Senatorem perdidisse, & Monachum non fecisse.

Unde hæc vero tam festina mutatio, tam libera Metamorphosis? Dicam breviter. Thomistæ gratiæ per sese, atque ex intimis efficacis necessitatem triplici ex capite repetunt: Primo ex liberi arbitrii in partem alterutram indifferentis verfatilitate activa, qua tamdiu hæret acceps, ac veluti suspensum, & pendulum, donec altiori virtute in partem alteram feratur, determinetur, ac moveatur; idque præsertim in pietatis operibus, quæ supra naturæ vires, & ingenitas facultates posita sunt. Secundo ex Creaturæ a Deo necessario pendenti conditione; quæ nihil boni se sola, nisi Deo opitulante possit. Tertio ex fauciatæ, & vulneratæ voluntatis infirmitate, depravatione, corruptione; quæ cum in privatum bonum tota propensa sit, inclinata, ac velut incurva, in Deum erigi, nisi adjuva, & sublevata non potest. Laudari vero Augustinianæ Scholæ Professores, gratiæ per sese efficacis necessitatem ex hoc uno po-

stremo capite repetunt: ex naturæ videlicet vulneratæ, & originis vitio corruptæ conditione; nullo autem pacto ex activa, ut ajunt, indifferentia voluntatis, aut ex naturæ creatæ a Deo pendenti subordinatione, ac subjectione. Quo fit ut, cum nulla in statu innocentie voluntatis creatæ corruptio esset, depravatio nulla; nullam quoque eo in statu efficacis gratiæ necessitatem agnoscat, in homine primo, ac etiam in Angelis. Una enim illorum omnium ratio est.

Quare non est mihi modo, ut monui, de intima divinatorum auxiliorum efficacitate disputandum; quam ii potius certo saltem titulo competentissimam habent, quibuscum tota mihi lis est; sed de doctrinæ Augustinianæ, atque Thomisticæ consonantia principiorumque, quibus illa nititur, colligatione, & confessione. Quæ quidem vera ne sint, an falsa, Romanorum Pontificum decretis obtemperans, non expendam; sed ex sola argumentationis lege, pro certissimis posam; ex iis plerumque ad hominem, ut dici solet, disputaturus.

II. Indolui ego non semel super eo Scholarum nostrarum divortio. Quæ cum adversus Molinianos, pro gratia se ipsa efficaci, tanquam pro aris, & focis decertare, concordio consilio, & conjunctisque viribus instituerint, hoc demum enato diffidio exarmanter, ac pene dixerim subvertantur, viribusque deficiunt. Sic enim momenta potissima, eaque numero multa, quibus intima divini gratiæ efficacitas defendi potest, imo, & debet, in fumum abeunt; ac veluti tela plumbea, bruta fulmina, exesa rubigine ferramenta despiciuntur, ac etiam pedibus conculcantur.

De eo sedando, tollendoque fatali diffidio diu multumque cogitavi: tum quod nullam velim esse, Augustinianis inter atque Thomistis opinionum disensionem: imo nullum verum Divi Augustini discipulum putem, qui perinde Divi Thomæ non sit: tum quod non omnium, sed quorundam duntaxat, atque paucorum de Scholæ Augustiniana diffidium illud sit; qui ab avita Majorum suorum sententiâ desciverunt, novosque calles, in exponenda SS. Patris mente aperuerunt, regia ut ajunt relicta via. Neque enim a Scholæ Thomisticæ doctrina deflectunt; eo in capite, Ægidius Columna S. R. E. Card. Archiep. Bitoricensis, quem post D. Augustinum, Scholæ suæ Magistrum agnoscunt, in *Hexameron* p. 1. cap. 15. & p. 2. cap. 3. & 31. Thomas de Argentina in 2. *sentent. dist. 4. & 5. a. 3.* Gaspar Casalius Episc. Leicentis lib. 1. de *quadrip. justitia* capp. 5. 9. 11. 32. Leonardus Coqueus in *Comment. ad cap. 9. lib. 12. de Civitate Dei*. Fidericus Nicolaus Gavardi, in *Theologia ex antiqua quæst.*

quest. 5. de Volunt. Dei consequente art. 3. Nicolaus Girken Tom. 1. Summa Theol. tract. 10. quest. 3. de necessitate gratia dub. 1. Quibus adiungendi sunt alii, sine minus vitæ instituto, ac certe doctrinæ professione Augustiniani, Gulielmus Estius in prim. sentent. dist. 41. §. 14. & in 2. dist. 26. §. 7. Franciscus Sylvius tr. de primo Motore, & in 1. 2. quest. 109. art. 1. & 9. Thomas Angelus Opus. de mente Augustini circa gratiam Adami.

Imo rem gratissimam facturum mihi visus sum florentissimæ Scholæ Augustinianæ, cui adscribi, & volo, & summa in laude pono, si pauculos alios, quos a suis segregare doleo, ad Majorum suorum sententiam hac mea lucubratione revocarem. Quod ut assequeretur, satis forsasse foret, si primi Legum Latoris monitum darem: Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi. Deuter. 32.

Quia tamen & a suis, & a nostris divortium illos fecisse video, Sanctissimi Patris Augustini auctoritate perperam intellecta pressos, ac ductos; quod illum in contraria Divo Thomæ sententia versatum existimant: haud alia meliori via eos in concordiam revocandos existimavi, quam si palam omnibus facerem, Augustinum non modo cum D. Thoma, illiusque Angelica Schola hac in parte sensisse; gratiamque se ipsa efficacem, utroque in statu, homini variis titulis necessariam docuisse; verum etiam ea posuisse doctrinæ suæ principia, quæ si gratiam se ipsa efficacem in statu naturæ lapsæ necessariam probant; eandem quoque in statu naturæ innocentis necessariam evincant: imo hæc ipsa sua efficacitatis gratiæ principia, innocentiæ statui accommodasse Augustinum, ut eandem cum Thomistis consecutionem eliceret.

III. Quod utique opus aggrediar, ubi primum prolixi loco dederim manifestum, quam falso, quam temere, ea Doctri Angelico nota a nonnullis, inulta sit; quod Aristotelem secutus potius, quam Augustinum, efficacis gratiæ necessitatem ex sola, ut ajunt, causarum subordinatione petierit; nullo autem pacto ex humanæ naturæ originis vitio faciatur corruptione, carnisque infirmitate, ejusque in Spiritum pugna derivarit. Vah tetram, futilemque Sycophantiam! Quid itaque sibi vult quod habet ille 1. 2. quest. 109. art. 2. in corpore? Sic igitur virtute gratuita, superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integre, quantum ad unum, id est ad operandum, & volendum bonum supernaturale: sed in statu naturæ corruptæ, quantum ad duo; scilicet ut sanetur, & ulterius ut bonum supernaturale virtutis operetur, quod est meritum. Ulterius autem in utroque statu indiget homo auxilio Divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum. Cujus etiam nota est quod ibidem addit, in responsione ad 1. ubi cum philosophica ratione demonstrasset, non ita hominem suorum actu dominum esse, quin ab externo principio moveri debeat, ita demum colligit: Unde mens hominis etiam sani non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moveri a Deo: & multo magis liberam arbitrium hominis infirmi, post peccatum, per quod impeditur a bono, per corruptionem naturæ.

Quid hoc alterum 1. 2. eadem questione articulo 9. Homo in gratia existens non indiget alio auxilio gratiæ, quasi aliquo alio habitu infuso. Indiget tamen auxilio gratiæ, secundum alium modum, ut scilicet a Deo moveatur ad recte agendum. Et hoc propter duo: Primo quidem ratione generali, propter hoc quod, sicut supra dictum est, nulla res creata potest in quocumque actu prodire, nisi virtute motionis Divinæ: secunda ratione speciali, propter conditionem status humanæ naturæ; quæ quidem licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, rema-

net tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur ad Romanos 7.

Quid illud quoque ex Questionibus disputatis quest. 3. de Malo. art. 1. ad 9. Dicendum quod aliter loquendum est de boniæ secundum statum naturæ conditæ, & aliter secundum statum naturæ corruptæ. Quia secundum statum naturæ conditæ, homo nihil habebat impellens ad malum; licet bonum naturæ non sufficeret ad gloriæ consecutionem, & ideo indigebat auxilio gratiæ ad merendum, non autem indigebat ad peccata vitanda; quia per hoc quod naturaliter acceperat, poterat stare. Sed in statu naturæ corruptæ habet impellens ad malum; & ideo indiget auxilio gratiæ, ne cadat.

Quid illud tandem ex Questione 27. de Veritate art. 5. ad 3. Quancumque homo habeat habitum gratiæ, semper tamen indiget Divina operatione, quia in nobis operatur modis prædictis operando scilicet, & cooperando. Et hoc propter infirmitatem nostræ naturæ, & multitudinem impedimentorum; quæ quidem non erant in statu naturæ conditæ: unde magis tunc poterat homo stare per se ipsum, quam nunc possint habentes gratiam: non quidem propter defectum gratiæ, sed propter infirmitatem naturæ: quæ vis etiam tunc indigebat Divina providentiæ eos dirigente, & adjuvante.

Et erit modo qui dicat, Doctorem Angelicum Divinæ motionis necessitatem, ex sola creaturæ a Deo pendenti conditione petisse: de contracta vero per peccatum originis infirmitate, quam millies Augustinus inculcat, ne vel leviter cogitasse? Non dicit profecto qui frontem habet. Ad rem itaque, quam tractandam suscepimus, accedamus; & quid vicissim Augustinus de gratia primi hominis, & Angelorum senserit, expendamus.

CAPUT II.

Primum D. Augustini principium expenditur: primæque inde, pro gratia efficaci primi hominis demonstranda, consecutio elicitur.

I. Exordium a generalibus D. Augustini principii duo: quæ si gratiam se ipsa efficacem in statu naturæ lapsæ necessariam probant, uti profecto persuasum habent illi ipsi, quibuscum res ista agitur, eandem quoque in statu naturæ innocentis necessariam evincunt.

Principium itaque Augustini firmissimum, cui gratiæ se ipsa efficacis doctrinam incumbere fateatur, ac docent quotquot illo Doctore, atque Magistro gloriantur, istud est: Non posse hominem se ipsum meliorem facere, quam Deus eum fecerit. Ex quo sic illi in Molinianos argumentantur. Cum melior ille sit, qui re ipsa boni aliquid agit, quam qui simpliciter potest agere; melior, qui in accepta iustitia perseverat, quam qui perseverare simpliciter potest: meliorem profecto se ipsum faceret homo, quam Deus eum fecerit, si bene faciendi potestatem, gratiæ mere sufficientis, ac mere versatilis ope, suscepisset a Deo; a se ipso vero operis actum haberet, nullo alio potentiori suscepto præsidio. Meliorem pari ratione se ipsum faceret iustus, si perseverandi potestatem, gratiæ mere versatilis ope suscepisset a Deo, a se ipso vero perseverandi voluntatem, & actum haberet, nullo alio potentiori accepto præsidio, quo Deus in eo operaretur, ut vellet. Eximius Theologis gratulor, quod invito plane momento, ex summo Divinæ gratiæ Doctore petito, Molinianos versatilis gratiæ defensores exagitant. Ita quippe compendio disputat Augustinus, lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 18.

18. ut gratiæ se ipsa efficacis necessitatem, in hoc præsentis statu demonstrat: Si nobis libera quadam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona, vel mala: bona vero voluntas ex nobis est, melius est id, quod a nobis, quam quod ab illo est.

II. Quidam porro hoc idem Augustini principium, idemque ex eo petitum argumentum, ita tui naturæ innocentis accommodemus; ut ejusdem gratiæ efficacis necessitatem, ad bonum agendum, & perseverandum in bono pariter colligamus? Abit enim ut vel Protoparentes, vel Angelos viatores, meliores semetipsos facere potuisse putemus, quam illos fecerit Deus.

Quancumque quid ego hæc moror? cum hoc idem principium bonis Angelis viatoribus accommodaverit Augustinus ipse; eandemque ex illo consecutionem eluciverit: eos scilicet perseverandi voluntatem ex peculiari Dei gratiæ habuisse: lib. 12. de Civit. Dei. cap. 9. Si non potuerunt se ipsos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit profecto, & bonam voluntatem, quæ meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris, habere non possent. Quo vel uno SS. Patris dicto, ita mentem ejus in aperto positam puto, ut nulla tergiversatione, nullis possit cavillationibus obscurari. Quidquid enim Augustiniani illi, quibuscum res nobis est, Theologi reposuerint, ut vim hujus argumentationis effugiant, qua parte gratiam, efficacem in statu naturæ innocentis necessariam probat, hoc idem pari sententiâ Moliniani reponunt, ut ejusdem gratiæ necessitatem, pro statu naturæ lapsæ, ab Augustino minime probatam evincant: Si qua illi divitula quarant, ut effugiant, quærent & illi, ut elaborant. Quod cuique refractariolo in sequentibus demonstrabo. Cap. 12. 13. 14.

III. Futilitatis vero plenum est quod nonnulli reponunt; Augustinum de prima Voluntate bona Angelis initio infusa, qua nimirum iusti, ac sancti a Deo sunt conditi, fuisse locutum; non de altera, qua libere, & meritorie in hac ipsa voluntate bona, seu amore casto, cum quo conditi sunt, permanserunt: recteque idcirco probasse Doctorem Sanctissimum, primam illam voluntatem bonam a Deo Angelis factam esse, non eam illos a se ipsis habuisse: quod tamen de altera voluntate, ex hoc ipso principio probari non posse arbitrantur. Hoc inquam responsum futilitatis, ac etiam falsitatis plenum est. De utraque etenim voluntate bona, toto illo Capite 9. disputat Augustinus, & utramque in Angelis a Deo factam esse contendit; ne si vel alterutram a se ipsis, Deo non donante, haberent Angeli, meliores facerent semetipsos, quam illos fecerat Conditor Deus. De prima, inquam, sub ipsum statim initium disputat, verbis illis: Si dixerimus nullam esse efficientem causam etiam voluntatis bonæ, cavendum est, ne voluntas bona bonarum Angelorum, non facta, sed Deo coeterna esse credatur. Cum ergo ipsi facti sint, quomodo illa non esse facta dicitur? Porro quia facta est, urrum cum ipsis facta est, an sine illa fuerunt prius? Sed si cum ipsis, non dubium quod ab illo facta sit, a quo & ipsi; simulque ut facti sunt, amore cum quo facti adhaerent: eoque sunt isti, ab illorum societate discreti; quod hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea descedendo mutari sum, mala scilicet voluntate, hoc ipso quod a bono desceperunt; a qua non desceperunt, si urrique voluissent. Si autem boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate, eamque in se ipsis Deo non operante fecerunt, ergo meliores a se ipsis, quam ab illo facti sunt? absit &c. Tum de altera Angelorum voluntate, de qua nobis in præsentia questio est, e vestigio subjungit: Aut

si non potuerunt se ipsos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit; profecto, & bonam voluntatem, quæ meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris, habere non possent. Et cum id egi corum voluntas bona, ut non ad se ipsos, qui minus erant; sed ad illum, qui summe est, converterentur, eique adherentes magis essent, ejusque participatione sapienter, beateque creverent: quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse, in solo desiderio remansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem.

Ecquis enim non videat, de actu illo voluntatis Angelicæ, id ultimum esse dictum, quo Angeli boni jam, iustique a Deo conditi, castique amoris habitu in ipsa sui creatione perfusi, ad Deum uti finem ultimum se se libere ac meritorie converterent; eoque actu viam suam, ut loquuntur Theologi, consummarunt, & in accepta iustitia perennarunt? Id quippe ex quadruplici capite liquet aperte.

1. Quia de ea bona Angelorum voluntate loquitur Augustinus, quam non nisi operante adjutorio Creatoris habere potuerunt. Solus porro voluntatis actus meritorius, ac liber, a Creatoris adjutorio, seu a gratia illius adjuvante esse potuit: cum non adjuvaretur, nisi qui aliquid agit, ac etiam libere. Bona vero voluntas habitualis, seu castus amor, quo boni, & iusti in ipsa sui creatione facti sunt Angeli, est a Dea habitum gratiæ infundente esse dicatur, a Deo tamen ut adjuvante esse non dicitur.

2. De ea Angelorum voluntate bona loquitur Augustinus, qua ad Deum conversi sunt, eique tantquam sui ultimo adhaerunt. Id autem actu libero, & merito voluntatis Angelicæ factum esse, nemo negaverit.

3. De ea voluntate bona loquitur SS. Doctor, qua summi boni participatione sapienter beateque vixerunt. Quod quis non videat illos esse consecutos, actu illo libero ac meritorio, de quo præfens nobis est disputatio?

4. De ea loquitur voluntate, quæ in solo desiderio inops non mansit, sed melior, avidiorque a Deo facta est. Quod utique factam in creatione casti amoris infusionem non indicat, sed inspiratum, inditumque post creationem, amoris actum plane liberam, ac meritorium sonat aperte.

Quatuor hæc, datum a nonnullis Augustinianis responsum, falsitatis arguunt patentissime. Sed et si nihil toto illo Capite, de meritorio, ac libero Angelicæ voluntatis actu, quo ad Deum conversi sunt, pronunciasset Augustinus; sed de habituali, ut ajunt, voluntate bona, castoque amore, quo iusti ac sancti a Deo sunt conditi, unice disputasset; id nobis ad præfens sufficeret unum, quod eam bonam voluntatem habitualement, a se ipsis habere Angelos non potuisse, probaverit Augustinus; quia non potuerunt se ipsos facere meliores, quam Deus eos fecerit. Cum enim hoc idem Augustini principium mutentur illi ipsi quibuscum res nobis est, Theologi recentiores, e suoque accommodato instituto, dum de gratiæ se ipsa efficacis necessitate in statu naturæ lapsæ, adversus Molinianos argumentantur: quidni nobis hoc ipsum mutuari liceat, & illos mutæ secum repugnantia, ac dissonantia arguamus? Si enim gratiam se ipsa efficacem homini lapsæ necessariam dicitant, ne se ipsum meliorem faciat homo lapsus, quam illum, fecerit Deus; quidni eandem homini sano, & Angelis necessariam agnoscat, ne in hoc idem labatur absurdum, quod a statu innocentie eliminatum voluit Augustinus? Generale enim SS. Patris principium illud

illud est: Non poterunt Angeli se ipsos facere meliores, quam Deus eos fecerit: inquit enim loco superius laudato: Ergo meliores a se ipsis, quam a Deo facti sunt? Assit. Quod confirmat Enarr. in Psalm. 70. inquit: Tibi debent, quod sunt, tibi debent, quod vivunt, tibi debent, quod iusto vivunt, tibi debent, quod beato vivunt.

IV. Facilius reponunt alii, ut ab eo argumentato expediant se se: Non posse quidem homines, Angelosve, sine Deo se ipsos facere meliores, quam Deus eos fecerit, cum Deo tamen posse omnino: idque re ipsa contingere, dum homo, Angelusve gratia sanctificante informatus, auxiliisque duntaxat sufficientibus, ac versatilibus instructus, in re ipsa bonum agit, aut perseverat in bono: cum tunc non se solo, ac sine Deo, meliorem se faciat, quam sit factus a Deo. Id inquam futurus, & ab Augustini mente, atque sententia penitus alienum. Dum enim non posse Angelos doceri, se ipsos facere meliores, quam illos fecerit Deus, satis profecto non habet, si id illi utcumque cum Deo faciant, sed id eos facere vult, cum Deo in illis operante, ut faciant. Profecto, inquit, & bonam voluntatem, qua meliores essent, non nisi Operante adiutorio creatoris, habere poterunt. Porro in ea, quam imperitus Recentiorum hypothese, etsi non sine Deo, meliores se facerent Angeli, hominesve; non tamen cum Deo in illis operante, ut faciant: cum Deus auxiliis huiusmodi sufficientibus, ac versatilibus, non operetur in illis velis, & perficere pro bona voluntate.

Quibus & illud addiderim: hoc si responsum valeat, solvendoque momento ex Augustini principio petito sufficiat, idem plane Molinianos, versatilis gratia in statu naturae lapsae, defensores, Augustiniani Theologiae responsuros, dum pari ab eis urgentur argumento. Quidni enim & ipsi reponant, lapsam hominem auxiliis duntaxat versatilibus, ac sufficientibus instructum, seu hominem quid agat operis, seu perseveret in bono, meliorem quidem se ipsum facere, quam illum fecerit Deus, non tamen sine Deo: cum ab eo gratiam illam versatilem, ac sufficientem acceperit, sine qua nihil etiam boni facit, nec perseverat in bono? Sed de hoc nonnullorum responso, quaestioque sustulio plenius Capite 13.

V. At ecce interim alius mihi ex adverso insurgit, nullius scholae principis harenis, sed novam de Divina Gratia Theologiam pro arbitrio cadens, in Manuscriptis Annotationibus, Mediolani disseminatis, quae ad manus meas paucis ante diebus pervenere. Is scilicet Augustini principium agnoscit quidem, Neminem suis ipsis viribus posse se ipsum facere meliorem, quam Deus eum fecerit: Verum ad negotium perseverantiae transferri posse, omnino negat; ne inde colligatur, neminem sine speciali gratia, suisque ipsis viribus posse in accepta iustitia perseverare; ne se ipsum perseverando meliorem quis faciat, quam Deus eum fecerit: quia, inquit, qui perseverat in iustitia, non idcirco fit melior, quam qui simpliciter iustus est, sed remanet qualis erat. Quod etiam ex D. Thoma adstruere nititur, lib. 3. contra Gentes cap. 155. adstruere, Perseverare autem non dicit aliquid ut nunc operabile, sed continuationem operationis per totum tempus: seu, ut loquitur in 2. sent. dist. 29. art. 3. ad 2. Non ponit specialem virtutem; sed continuationem quandam virtutis usque ad mortem. Quia & hoc addit Anonymus Observator, Ex illa sanctissima, & fundatissima veritate, (Omne bonum etiam in sanctis Angelis est a Deo) perseverantia fuerit speciale donum Dei; cum ex dictis perseverantia non includat nisi bona prehabita.

Horrendum sane paradoxum! Unde non modo, quam hic defendimus, de Angelis, primitivae parentibus, Doctrina Thomistica pessum eat, sed, & ipsa Ecclesiae Catholica fides, de inactumabili perseverantia dono, contra Semi-pelagianos definita, atque sancita, funditus collabatur. Quod enim laudatis locis asserit D. Thomas, Perseverantiam non dicit aliquid, ut nunc operabile, specialemque virtutem, sed continuationem operationis, atque virtutis usque in finem, de perseverantia Iustorum in statu naturae lapsae, apertissime dictum est: Atque ita, si ex ea perseverantia notione, a Doctore Angelico data, colligere licet, non esse Angelorum perseverantiam speciale Dei donum, imo nec speciale aliquid bonum; an non idem de Iustorum praesentis huiusmodi status perseverantia colligendum? Sed, & illud in Annotatore nostro multo lepidius, quod ex ea perseverantiae notione identissime colligatur, non esse perseverantiam in Angelis speciale donum Dei; cum contra, speciale Dei donum esse exinde colligat Doctorem Angelicum. Perseverare autem, inquit SS. Doctor, non dicit aliquid ut nunc operabile, sed continuationem operationis per totum tempus. Iste igitur effectus, qui est perseverare in bono, est supra potestatem liberi arbitrii. Indiget igitur bono ad perseverandum in bono auxilio divinae gratiae.

Tollenda igitur novi Annotatoris hallucinatio, ludusque verborum. Qui perseverat, inquit ille, in iustitia, non idcirco fit melior, sed remanet qualis erat: utique non fit melior additamento iustitiae, novique cuiuspiam gradus sanctitatis accessione, quem antea non habebat: fit tamen melior, novo, perfectiorique modo iustitiam, ac sanctitatem iam habitam retinendo; seu, ut clarius dicam, fit melior ipsa continuatione iustitiae praecedentis. Cum enim continuatio illa bonum aliquid sit, facit utique iustum hominem meliorem. Iustus etiam perseverando, non remanet simpliciter qualis erat: Non enim erat antea perseverans, ut est postea; sed novum habet sanctitatis, atque iustitiae modum, continuationem scilicet, quam antea non habebat. Is porro novus iustitiae modus usque adeo de genere honorum est, iudice D. Thoma, ut sit potius excellentissimum bonum, & non nisi ab aliquo agente superioriori, atque supremo causari possit.

CAPUT III.

Alterum expenditur Augustini principium, ex quo eadem colligitur conclusio.

I. PRIORI Augustini principio proximum est alterum, eiusdem ferme sensus, atque sententiae: Non posse scilicet hominem hominem esse meliorem, quam Deus ipse fit homini. Quo utriusque utitur Augustinus, ut omne sibi bonum ex efficaci Dei gratia esse, non a se sibi esse demontret: Enarrat. in Psal. 58. serm. 2. Totum quidquid sum, de misericordia tua est. . . . Fecisti ut essem, & non tu fecisti ut bonus essem? Disti mihi ut sim, & potuit mihi alius dare, ut bonus sim? Si tu mihi dedisti ut sim, & alius mihi dedit, ut bonus sim, melior est ille, qui mihi dedit, ut bonus sim, quam ille, qui mihi dedit, ut sim. Porro quia se nemo melior, nemo se potentior, nemo se in misericordia largitor; a quo accipit, ut essem, ab illo accipit, ut bonus essem. Deus meus misericordia mea! Jam quid vetat totum illud Augustini ratiocinium, ad causam, quam hic agimus, mutari? Annon enim Adamo melior esset Adam, Angelus Angelo, quam utriusque sit Deus, si Angelo, & Adamo dedisset duntaxat

Deus,

Deus, ut posset uterque bene agere, ac perseverare in bono, a seipso autem habuisset uterque, ut re ipsa & perseveraret, & ageret? Si utriusque dedisset duntaxat Deus, posse quod vellet, uterque tamen a seipso habuisset velle, quod posset? Is enim cuique melior est, qui donat illi quod melius: vicissimque melius est re ipsa bene agere, re ipsa perseverare, quam simpliciter posse perseverare, vel agere; meliusque in ordine moris est, bonum velle, quod possis, quam simpliciter posse, quod velis.

Si quid autem Augustiniana Scholae Theologi reposerint, ne quid ex illo SS. Patris principio colligatur, ad efficacem gratiam Adamo, & Angelis necessariam ostendendam; hoc idem Moliniani perinde reponunt, ne quid inde colligatur Augustinus, ad necessariam lapsis hominibus gratiam efficacem demonstrandam. Quod suo loco planissimum faciam: Cap. 12. 13. 14.

II. Illud nunc ad promissum observare juvat, quod huius est loci, & instituti: Nullum scilicet fore quod expendimus Augustini principium; nisi ad ipsum quodque innocentis naturae statum transferri posset, eidemque accommodari. Probat enim vero SS. Doctor, non posse hominem sibi esse meliorem, quam Deus ipse fit homini; non quia lapsus nunc, vulneribusque confossus est homo; sed quia Deus summum est bonum, quo nemo melior, nemo potentior, nemo beneficiando largior, miserendoque profusior. Quod cum Dei perinde fit proprium, (eius enim natura bonitas est), seu hominem sanum, & innocentem providentia sua regat, donisque gratuitis cumulet; seu lapsam, prostratamque hominem erigat, sanetque gratiae suae ope, atque virtute: consequens profecto est, perinde non posse sanum, innocentemque hominem sibi meliorem esse, quam illi fit Deus; uti lapsus, faucibusque vulneribus homo non potest.

III. Ais tamen mihi, ex hoc Divi Augustini principio, Non potest homo sibi esse melior, quam illi fit Deus; minus recte colligi, omne bonum opus, ac pium ex efficaci Dei gratia sobolescere. Quia, inquit, tametsi melior sibi ipsi foret homo, si ex se solo boni praeque operis actum haberet, quam illi fit Deus, a quo non haberet bene agendi potestatem: non illico tamen sibi ipsi homo confendus est melior, quam sit illi Deus; si boni operis actum, se solo, hoc est, solis naturae viribus, non exerat homo, sed ex accepta a Deo ipso bene agendi potestate: Sic enim, qui hanc illi bene agendi contulit potestatem, mediate saltem, ut Schola loquitur, & radicaliter, boni operis actum dedidit confendus est. Ita porro, inquit, sese res habet in hypothese Moliniana. Nempe dum re ipsa boni operis actum exerit homo, non se solo, suisque duntaxat nativis viribus exerit, sed ex accepta a Deo (per auxilia versatilia) potestate, ac facultate: Atque ita potestatis huiusmodi largitor Deus, adhuc homini sic agendi confendus est melior, quam sibi ipsi fit homo.

Subtiliter quidem, ingeniosaque excogitatum! Verum nihil est, qualiscumque tandem sit, consideratio nos movet: qui eo Augustini principio, non Molinianos, versatilis gratiae in statu naturae lapsae defensores, impetimus; sed Augustini Discipulos, de statu naturae innocentis contententes urgemus; & in eos, velut ad hominem, ex concessis argumentamur. Cum enim hanc ipsam consecutionem ex laudato Augustini principio colligat, eoque momento, veluti plane decretorio, Molinianum Systema impetant, & impugnant: quidni quoque nos, illud idem, quaecumque tan-

Serry Tom. VI.

dem sit, in illos ipsos contorqueamus; eisdemque suis ipsorum armis aggrediamur?

Quamquam tamen Consideratio illa ludicra omnino est, ac plane inutilis. Etsi enim, qui bene agendi contulit potestatem actuosam, & efficacem mediate saltem, ut ajunt, & radicaliter boni operis actum dedidit confendus sit, quantum necesse est, ut melior sit agenti homini, quam sibi ipsi sit homo: ubi tamen otiosam se ipsa, inertem, & inefficacem duntaxat contulit potestatem, (qualis profecto auxiliis mere versatilibus, atque indifferentibus datur) non illico homini agenti fit melior, quam sibi ipsi sit homo; qui inertem illam, otiosamque potestatem assensu suo reddidit efficacem, ut ageret. Ille etenim agenti fit melior, qui quod melius est illi tribuit: melior autem est actus, quam agendi potestas, iners praesertim se ipsa, otiosa, atque inefficax: cum propter actum potestas ipsa sit, facultas propter usum facultatis.

Stat itaque invicta ratio, ex secundo Augustini principio delibata; qua Molinianum Systema Augustiniani Theologi soliti sunt impugnare. Eademque meliori titulo in eos ipsos, de statu naturae ianocentis contententes, regeritur, retorquetur.

CAPUT IV.

Idem ex tertio Augustini principio demonstratur.

I. TERTIUM Augustini principium, unde gratiae se ipsa efficacis necessitatem in statu naturae lapsae probabat SS. Doctor, (si Theologis ipsis, quibuscumque res nobis est, fidem damus,) istud erat: quod nihil in ordine supernaturali a se ipso habeat homo, de quo in futurum gloria possit: Nihil a semetipso habeat, ratione cuius possit sese ab altero quocumque discernere. Hinc scilicet merito colligebat, agi nunc hominem in bonis operibus exerendis, ac multo magis ad perseverandum in bono, speciali quodam, efficacique divinae gratiae adiutorio. Si etenim una, eademque versatilis gratia duobus e. g. hominibus datur, cuius ope recte operandi potentiam, & perseverandi facultatem unufquisque recipiat; horum vero unus recte agit, non item alter; perseveret ille, non iste; quia videlicet ille suae voluntatis assensu versatilem gratiam reddidit efficacem, iste suo dissensu cassam, & inutilem fecit; is certe ab alio se discernit ex suo, non ex gratia, quae in utroque eadem reperitur: gratia enim, quae est communis bonis, & malis, non distinguit bonos a malis: inquit Augustinus lib. de nupt. & concupisc. cap. 3. & lib. de praedest. Sanctorum c. 5. Si se discernit ex suo, poterit etiam gloriari de suo. Principium illud milles urget SS. Doctor, ac potissimum lib. de dono perseverantiae cap. 13. atque ex Apostolo delibasse gloriatur, 1. ad Cor. cap. 4. Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti?

At quidni quaeso principium illud statui naturae innocentis accommodemus, ut eiusdem efficacis gratiae necessitatem pariter colligamus? Pari quippe titulo ita possumus argumentari: Si una eademque Angelis stantibus, & cadentibus versatilis gratia data est, quam illi voluntatis assensu fecerint efficacem, ut starent, alii dissensu inefficacem fecerint, ut exciderent; illi profecto sua se voluntate ab aliis discreverunt, atque ita in se ipsos possunt, non in Domino gloriari.

II. Ecurr vero Angelis, & hominibus innocentibus non accommodemus principium illud? cum

D

hoc

hoc ipsum illis accommodaverit Augustinus, bonosque Angelos a malis sola Dei virtute discretos docuerit, *lib. 11. de Civ. Dei cap. 19. Non mihi videtur, inquit, ab operibus Dei absurda sententia, si cum lux illa prima facta est, Angeli creati intelliguntur: & inter sanctos Angelos, & impios fuisse discretum, ubi dictum est, & dixit Deus inter lucem, & tenebras; & vocavit Deus lucem diem, & tenebras vocavit noctem. Solum quippe ille ista discernere potuit, qui potuit etiam privatum cadentem prescire casuros, & lumine privatos veritatis in tenebrosa superbia remansuros. Nam inter istum nobis notissimum diem, & noctem, id est, inter hanc lucem, & has tenebras, vulgatissima sensibus nostris luminaria cæli, ut dividerent, imperavit. . . . Inter illam vero lucem, que sancta societas Angelorum est illustratio veritatis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, id est, malorum Angelorum averterum a luce justitiae veterimas mentes, ipse dividere potuit, cui etiam futurum, non nature sed voluntatis malum, occultum, aut incertum esse non potuit. Quod non modo debet intelligi de discretione a Deo facta, per largitionem gloriæ bonis concessæ, dum ad terminum pervenire; & per inflectionem penæ malis impositæ; sed per largitionem potentioris gratiæ bonis in via concessæ, ad meritum boni operis comparandum. Alias (si quid Augustini, quod expendimus modo, principium valet,) de hoc ipso bono opere, meritoque potuissent boni Angeli in se ipsis, non in Domino gloriari.*

III. Nec est quod mihi reponat aliquis: Deum bonos Angelos a malis discrevisse præscientia sola, non gratia uberiori aliquibus præ aliis data; propterea quod ab Augustino dictum sit, potuit prescire casuros. . . . cui futurum voluntatis malum occultum, aut incertum esse non potuit. Tantum enim abest, ut præscientiam illam Dei Angelos discrevisse significaverit Augustinus, eamque factæ inter Angelos discretionis causam dixerit; ut potius eam, veluti quidpiam ab ipsa facta discretione longe diversum innuerit. Solum, inquit ille, ista discernere potuit, qui potuit etiam prescire casuros. . . . ipse dividere potuit, cui etiam futurum non nature, sed voluntatis malum, occultum, aut incertum esse non potuit. Quia etiam unum probavit ex altero; ut qui attributum omnipotentia, a qua discretio illa fuit, ex attributo scientiæ demonstraret. Adeo scilicet præscientiam illam, quidpiam ab ipsa Angelorum discretione diversum existimavit. Quid etiam quod Augustinus eam Angelorum discretionem, Dei opus fuisse dixerit, ex supremo illius imperio profectum: præscientia autem mali, quam illic obiter indicat, speculatrix duntaxat est, non imperiosa, non operans: ea itaque præscientia, Angelorum discretio facta non est; nec Dei opus discretio illa censenda foret, si eam Deus nude, ac simpliciter præcivisset.

IV. Multo minus cum Anonymo Annotatore reponere juvat, Augustinum discrimen omne, bonos inter, & malos Angelos petiisse, ex sola mala voluntate cadentium, non ex aliquo dono, quo Deus bonos præ malis insigniverit: dum ait *lib. 12. de Civitate Dei cap. 9. Eoque sunt isti, scilicet boni, ab illorum societate discreti, quod hi, nempe boni, in eadem voluntate bona manserunt: Illi, nempe mali, ab ea desiciendo mutati sunt, mala scilicet voluntate, hoc ipso quod a bono desecerunt.* Iis quippe verbis, immediatam, ut ita loquar, discretionis causam duntaxat assignat Sanctissimus Doctor, quam nemo ambigit fuisse voluntatem Angelicam, in illis quidem bonam, in istis malam; non totam causam, & integram,

maxime vero primariam, quam nemo neget Deum esse. Uti plane dum *capite 6. ejusdem libri, de duobus Adolescentibus loquens, eadem carnis tentatione pulsatis, ita demum pronunciat: Si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat atque consentiat, alter, idem qui fuerat, perseveret; quid aliud appareat, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate desicere? Nemo profecto non videt, ea loquendi formula alteri omnino perfimili, causam discretionis immediatam duntaxat indigitari, utriusque scilicet adolescentis voluntatem, unius quidem bonam, alterius malam; non supremam, atque primariam; cuius omnipotentia, & efficaci gratia factum est, ut adolescentium illorum alter nollet a castitate desicere: juxta inconculcatam millies Augustini Doctrinam: Certum est nos velle cum volumus: sed ille facit, ut velimus bonum. . . . prebendo vires efficacissimas voluntati. *Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16.**

Stat ergo quod hic expendimus, inconculsum Augustini principium, de bonorum a malis discretione, per solam Dei gratiam faciendam, Angelis bonis, hominibusque innocentibus accommodatum.

Si quis autem consecutionem a nobis inde deductam cavillari voluerit, is certe communem Scholæ suæ causam prædet, suisque adversariis dabit. Quamcumque enim distinctionem excogitabit, ut evincat, non recte ex eo principio colligi efficacis gratiæ necessitatem, in statu naturæ innocentis; eandem quoque obtrudet Moliniani, ut ostendant, eandem quoque quoque minus recte deduci, in statu naturæ corruptæ: uti loco suo manifestum fiet. *Cap. 12. 13. 14.*

CAPUT V.

Idem ex quarto Augustini principio confirmatur.

I. Superioris Sanctissimi Doctoris principio finitimum istud est, & ex Sacris litteris delibatum: Spem nostram omnem in Deo solo, illiusque gratia, non in nobis, nostrisque viribus esse reponendam. *Apost. autem a vobis, ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram, in ipso (Deo) habere jubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis, qui spem habet in homine: Et, bonum est considerare in Domino, quam considerare in homine: quia beati omnes, qui confidunt in eo. . . . An vero timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in se ipso superbissimus, & insensibilissimus poneret? *Lib. de Dono Perseverantiæ cap. 22.* Ex hoc quippe principio, concordii sententia colligant Theologi Augustiniani, nullam profus in nobis spem veri nominis fore, quæ Theologicæ Virtutis titulo censetur; si ita ret Hypothesis Moliniana, de Divinis auxiliis versatilibus, atque indifferentibus, quæ ex humanæ voluntatis assensu suam efficaciam fortiantur. Nec immerito colligunt. Ex quo enim motivum, seu ut Schola loquitur, ratio formalis habitus deest, illiusque fundamentum, habitum quoque deesse, necesse est: deest autem in hac hypothesi. Est enim motivum spei, illiusque fundamentum, divina omnipotentia, ut auxilians, seu ut auxilia illa præbens, quibus felicitatem æternam sumus affecturi. Unde Apostolus *ad Romanos 4. Abrahamum non habuisse diffidentiam dicit, quod plenissime sciret, quia quæcumque promissit Deus, potens est & facere.* Talia porro non sunt auxilia versatilia, & ex humanæ voluntatis assensu pendula. Cum enim felicitatem æternam nobis fore possibilem non speremus; (est enim hoc obje-*

CONCILIATUS.

objectum fidei nostræ, non spei,) sed re ipsa potius nobis obtenturam expectemus; eamque nos per Dei gratiam consecuturos confidamus: innitiis auxiliis debet spes nostra, quæ nos ad æternam felicitatem certo sint perductura: qualia profecto sunt efficacia per se se; non quæ felicitatem nobis duntaxat possibilem adpromittant; qualia sunt versatilia, & ex humanæ voluntatis assensu pendula. Imo cum effectum suum assequi nequeant auxilia versatilia, & indifferentia, nisi ex incerto, atque fallaci humanæ voluntatis assensu, a quo determinationem suam, & efficaciam fortiantur: quisquis in iis obtinendæ salutis spem reponeret; non jam in Deo, sed in se ipso, non in Divina omnipotentia, indifferenter, ut ita loquar, & indeterminatè auxiliante; sed in sua ipsius industria, suoque assensu, efficaciam indifferentibus auxiliis addituro, spem suam atque fiduciam collocare convinceretur: ex eo enim duntaxat futurum esset, ut re ipsa felicitatem æternam consequeretur. Uti plane amens ille fuerit, qui obtinendi muneris spem, in hujus benevolentia Principis collocaret, qui nihil se ipso largiretur, nihil se ipso daret, nihil ageret; (qualem Childericum Gallorum Regem fuisse ferunt) ac non potius in Regni Administrati, (qualis tunc erat Carolus Martellus) benevolentia spem reponeret; cujus nutu, atque arbitrio cuncta fierent, cuncta penderent.

II. Porro si sic est, uti ratio disertissima probat, ac plæne convincit; ab Augustiniani Theologis, ita in Molinianos disputantibus scire velim, fuerint in Adamo innocente, aut certe debuerit esse spes vera, atque firmissima, quæ Theologicæ virtutis titulo censetur? Si negent fuisse, ac etiam esse debuisse: Adamumque in se ipso potius, suisque ipsius viribus, spem suam omnem ponere debuisse contendat; impium faciunt, ac superbissimum; Divoque Augustino, qui hanc illi virtutem necessariam dixit *lib. 14. de Civ. Dei cap. 27.* palam, aperteque repugnant. Si vero fuisse, aut certe esse debuisse in Adamo virtutem illam fateantur; ostendant, si superis placet, quo tandem pacto, quare ratione, Auxilia duntaxat indifferentia, & versatilia, quæ sola in eo primevæ felicitatis statu commissuntur, Theologicæ spei motivum, ac fundamentum esse poterint; quæ in hoc præsentis statu, iis ipsis fatentibus, esse non possunt.

Nullum hic, ad eluendam difficultatem, locum habet variorum naturæ statuum differentia. Quod enim omnipotentia Dei, obtinendæ salutis auxilia præbens, unicum spei nostræ motivum esse possit, non humanæ voluntatis vires; non inde est, quod læsæ illæ nunc sint, & ex peccato primi Parentis debilitatæ: sed quod spes Theologica virtus sit, quæ uti Deum solum objectum habet, ita & illum unum, uti motivum, seu rationem formalem habere potest. Quare tametsi majoris impietatis, majorisque superbiæ nota sit, spem salutis in fractis, læsisque nunc viribus ponere; quam si ante lapsum posita fuisset in sanis, & integris: adhuc tamen sacrilegii genus est, in integris sanisque viribus spem reponere, certumque Theologicæ virtutis excidium.

CAPUT VI.

Idem ex quinto principio colligitur.

I. Quintum Augustini principium, quo gratiam se ipsa efficacem in statu naturæ lapsæ demonstrari contendunt, quorumque ejus magisterio gloriantur, atque triumphant, istud est: Stare scilicet penes Deum omnipotentissimam po-

testatem, quæ nullius creaturæ adversa voluntate vinci, ac superari potest: cui volenti salvam facere, nullum humanum resistit arbitrium. Sextentis plus minus locis apud Augustinum occurrunt phrasæ illæ, *lib. de grat. Christi cap. 24. Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque satentur, non lege, atque doctrina sonante fornicibus, sed interna & oculata, mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. Lib. de grat. & libero arbitrio cap. 21. Agit enim omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit. Lib. de corrept. & grat. cap. 14. Deo volenti salvam facere nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle, seu nolle in voluntate, aut nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem. Quibus omnibus gratiam illam versatilem, quæ ex assensu, & dissensu liberi arbitrii efficac vel inefficax redditur, in statu naturæ lapsæ, ab imo subverti, Augustiniani quique contendunt. Si enim, inquit illi, Deus iis duntaxat gratis versatilibus, hominis lapsi moveret arbitrium ad bonum quodcumque peragendum, aut perseverandum in bono, ruerent plane quæcumque de omnipotentissima Dei in voluntates hominum potestate prædicat Augustinus: cum hujusmodi gratis versatilibus omnipotentiam suam in voluntates hominum non exerceat.*

Sed, & quid vetat hoc idem Augustini principium, de Divinæ voluntatis omnipotentia, statui naturæ innocentis accommodare, ut eandem pro illo statu consecutionem eliciamus? An enim Deus eo in statu minus omnipotens est, minus supermo pollet imperio, ut Angelorum, & innocentium hominum voluntates, quo vellet, quando vellet, & quomodo vellet inflecteret? ut a nullo corde ejus gratia respueretur? ut nullum illi creatum arbitrium obsteret? ut motum denique voluntatis eorum operaretur? Nihil profecto valet hic statuum diversitas, atque distinctio: primum hominem, Angelos ipsos, creaturas esse factis est, ut illud in eos imperium Deus exerceat. Quod ipsemet factus est Augustinus, nostroque accommodavit instituto, in *Enchir. ad Laurentium cap. 96. Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens Deus, nisi quoniam quicquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creature, voluntatis omnipotentis impeditur effectus, & capit. 102. Quælibet sint voluntates vel Angelorum, vel hominum, vel bonorum, vel malorum. . . . omnipotentis voluntas Dei semper invicta est. & lib. 14. de Civ. Dei cap. 27. Quis enim audeat credere, aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, aut dicere, ut non fuisse? Pro supra itaque potestate sua agit Deus in Angelorum, & innocentium hominum voluntates, ut eas etiam quocumque velit inflectat; idque invictio plane modo, ne Divinæ voluntatis impediatur effectus. Quod certe auxiliis mere sufficientibus, indifferentibus, ac versatilibus non præstatur.*

II. Reponit Anonymus Annotator, aut potius a Janzenio, cum quo mihi res est, reponi posse fidenter ait: ex omnipotentissima Dei potestate, quam Deus in universas creaturas rationales exercet, perperam gratiæ se ipsa efficacis necessitatem ostendi; cum fat bene, poterit Deus pro potestate efficere, ut nec Angelus nec homo caderet, nulla illis efficaci collata gratia, sed suum duntaxat concursum denegando, qui necessarius illis erat ad gratiam versatilem respiciendam; eaque denegatione, pravum illorum assensum ad malum cohibendo.

At nec id quidem Janzenius repofuerit, nisi

suæ velit doctrinæ principia demoliri. Ille etenim ipse est, qui ex omnipotentissima Dei potestate, quam modo in hominum voluntates exercet, gratiæ se ipsa efficacis necessitate adversus Molinianos evincit: Ille ipse est, qui Divinam illam omnipotentiam in hominum voluntates exerceri non posse contendit, sola gratiarum indifferentium, ac versatiliū largitione. Cum itaque eandem omnipotentiam exerceri a Deo doceat Augustinus, in movendis Angelorum, & innocentium hominum voluntatibus: quidni quoque argumentum velut ad hominem colligamus contra Iansenium, ejusdem efficacis gratiæ necessitatem, ad convertendas Angelorum, innocentiumque hominum voluntates? Quidve ille, nisi secum ipse pugnantia reponeret, Deum pro potestate sua efficere potuisse, ut neque Angelus, neque homo caderet, nulla illis efficacis collata gratia, sed solo negato concursu, ad pravam voluntatis assensum necessario? Quasi vero denegatio concursus naturalis ad peccandum necessarii, Divinæ omnipotentia adus sit: aut etiam, quod absurdum est, Deus hominem, Angelumque ne cadant impediat, nullo sua gratiæ dato præsidio, sed solo denegato naturali concursu ad peccandum necessario. Si sic est, dum Deum oramus, ne nos inducat in tentationem, non gratiam dari nobis aliquam postulamus, ut peccatum devitemus; sed naturalem concursum denegari nobis efflagitamus. Quo nihil absurdius excogitari a quoquam potest.

III. Tolerabilis forte reponeret Annotator, ad hujusce Argumenti vim eludendam, si simpliciter diceret: supremam quidem Deo inesse, pro quocumque humanae, atque Angelicæ naturæ statu omnipotentiam; cum hoc illi sit attributum indivisum: ac non perinde quocumque statu suam illam omnipotentiam exercere; quod æqua ubique non sit illius exercenda necessitas, maxime ubi tanta non est creatæ naturæ infirmitas. At nec sic quidem difficultatem eluderet. Suam enim omnipotentiam Deum optimum maximum exercere in quibuscumque creaturis, ac in ipsis etiam Angelorum voluntatibus regendis, stentibus, & quocumque voluerit permovendis, laudatis locis prædicat Augustinus, cujus hic unice mentem inquirimus: Qua de re plenius Cap. 17.

CAPUT VII.

Idem probatur ex sexto principio.

I. Sextum Augustinianæ doctrinæ principium; quo gratia illa versatilis a statu naturæ lapsæ proflus eliminata dicitur, & gratiæ cujusdam efficacis necessitas stabilita, inscrutabilitas est questionis hujus profundissime; cur unus præ altero Divinæ vocationi consentiat; cur unus in accepta justitia perseveret, non item alter? In systemate quippe gratiæ versatilis, omnibus promiscue concessæ, quæ unius assensu redditur efficacax, alterius dissentio inefficax redditur, nulla profecto est questionis hujus inscrutabilitas. Facile enim responderet, ideo vocationi consentire unum, non item alterum; ideo in accepta justitia perseverare illum, non item istum; quia is gratiam versatilem suo assensu reddit efficacem, iste dissentio inefficacem. In hypothesi duntaxat gratiæ efficacis, ad assentendum, & perseverandum necessaria, alta questionis hujus profunditas est: quia ad inscrutabilia Dei judicia pertinet, cur uni potius, quam alteri denegata sit gratia, qua vocationi consentiret, aut perseveraret in bono. Principium hoc sæpius videas ab Augustino positum, maxime vero lib. de dono persever. c. 9. Ex

duobus itaque parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquantur; & ex duobus atate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocentem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur; inscrutabilia sunt judicia Dei: & cap. 12. Sed quare illos potius quam illos? Iterum, atque iterum dicimus, nec nos piget: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Ex hoc adiciamus: Altiora te ne quaeris, & fortiora te ne scrutatus fueris: & lib. de spiritu, & littera cap. 33. Si quis me interroget, cur illi suadeatur, ut persuadeatur, isti autem non; duo solum occurrunt; quæ respondere mihi placeat: O altitudo divinarum sapientiarum, & scientiæ Dei! & nunquid iniquitas apud Deum? cui hæc responsio non placeat, quaerat Augustino doctiores, sed caveat ne inveniat presumptiores.

Jam, inquit ego, hanc Divinorum judiciorum profunditatem, in statu naturæ innocentis, perinde agnovit Augustinus, & inscrutabilem questionem dixit, cur Angelorum aliqui ad Deum incommutabile bonum conversi sint, non item alii: cur illi steterint, isti non steterint.

Quod enim generatim, & univèrse de mala peccantium voluntate docet lib. 11. de Genesi ad litteram Cap. 10. id consequenter de malis peccantium Angelorum voluntatibus intelligi vult: Posses etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est. Posses plane. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipsam est. Quasi dicat, potuit quidem Deus peccantium etiam Angelorum voluntates, in Deum tanquam finem ultimum actu libero consequendum, perinde convertere, uti in eum convertit stantium Angelorum voluntates: (non enim venit de conversione post lapsum, & per poenitentiam illic sermo venit) potuit illud, inquam, quia supremam in quascumque voluntates potestatem exercet: non fecit tamen, quia facere noluit, ob inscrutabilia judicia sua. Ea ergo conversio a Deo præstata erat, gratiæ cujusdam specialis, & efficacis largitione, non nutu, atque assensu voluntatis Angelicæ, gratiam versatilem omnibus communiter datam efficacem reddentis. Maxime cum Augustinus illud ipsum conversionis opus, Divinæ omnipotentia, & voluntati adscribat: Convertere poterat Deus, quia omnipotens est. . . . Non convertit, quia noluit. Quod quam sit ab eo quod imperimus systemate alienum, nemo non videt, nisi qui in meridiana luce caecuratur.

II. Hinc viedas, quam futiliter ludat, illudatque Anonymus Annotator, dum Questionis hujus, Cur Angelorum alii præ aliis steterint, profunditatem, & inscrutabilitatem aliunde oriri vult, quam ex necessitate gratiæ alicujus per se efficacis ad standum; sed ex eo potius oriri, quod noluerit Deus uti potestate, quam habebat plenissimam, ad impediendum, ne mali Angeli, & primus homo ab ipso recederent. Quasi vero aliud potestas illa sit, quam gratiæ efficacissima ab ipso pro arbitrio conferenda; qua sola poterat impedire, ne in peccatum aliqui laberentur? Hanc itaque, vellet noluit, hujusce profunditatis rationem agnoscat, quam repudiare videri vult; alteraque, ut ajunt, manu ædificat, quod altera demolitur.

Illud multo magis, dum alteram profunditatis hujus rationem obtendit: quod nempe cadentibus Angelis poenitentia locus datus non sit, qui datus est homini. Equis enim non videat, rationem hanc nihil cum præsentis questione habere commune; in qua id quaeritur unice, cur Ange-

lorum

lorum alii præ aliis steterint; non cur nulla data sit cadentibus venia? Ut sciam, non esse questionem illam secundam penitus insolubilem, cuius rationem plausibilem Theologi profertur: quod nempe ex mera malitia peccatorum Angeli, homo non item, fed magis ex infirmitate.

III. Sed neque felicis Argumenti nostri difficultatem elident Augustiniani Theologi, quibuscum res nobis est, si forte dixerint: inscrutabilem perinde fore sua in hypothesi questionem, Cur Angelorum alii steterint, alii non steterint: quia satis intelligentia non possumus assequi, cur, cum essent omnes Angeli versatilibus auxiliis ex æquo instructi, iidem tamen assensum alii præ aliis dederint, alii præ aliis denegerint. Non sic, inquam, difficultatem elident. Primo, quia, & hoc idem reponere Molianiani possent, ut alteram quoque questionem, Cur unus præ altero Divina nunc vocationi consentiat, inscrutabilem sua in hypothesi nobis ostendant. Quandoquidem, & ipsi satis fe intelligentia assequi non posse inquit, cur cum sint ambo homines iidem versatilibus auxiliis instructi, atque vocati, iis præ altero alter donet assensum, alter præ altero neget. Secundo, quia Augustinus, qui utramque questionem perinde inscrutabilem dixit, non ex assensu dato potius, quam negato inscrutabilitatem argumentatus est; sed ex omnipotentissima Dei voluntate, quæ cum possit omnes perinde trahere, omnes perinde convertere, alios tamen præ aliis convertit, & trahit, inscrutabili judicio, misericordii simul; & iusto. Seu ut expeditius dicam, Divinorum Judiciorum, in vocandis, trahendisque Angelorum, & hominum voluntatibus, profunditatem, & inscrutabilitatem agnovit Sanctissimi Doctor; non ipsas Angelorum, & hominum voluntates, in assensu dando, vel denegando inscrutabiles dixit. Uti profecto ea in parte inscrutabiles re ipsa non sunt.

Quare nec illud veritatem habet, quod infirma responsio ponit. Ut enim intelligamus, cur etiam omnes Angeli versatilibus auxiliis ponerentur instructi, iis tamen assensum alii præ aliis dederint; satis superque est, si eos liberos, imo liberrimos fuisse noverimus. Quod non modo Divina revelatio Sacris in Litteris facta didicimus, verum etiam naturalis lumine novimus.

CAPUT VIII.

Insignis profertur Augustini locus, & contra nonnullorum cavillos defenditur.

I. Generalia Augustinianæ doctrinæ principia congestimus hæcenus, quibus uti gratiæ se ipsa efficacis necessitas superstruitur in statu naturæ lapsæ, ita quoque in statu naturæ innocentis superstrui, necesse est: cum hæc ipsa principia utriusque perinde statui accommodaverit Augustinus. Nunc susceptam questionem paulo intimius attingimus, atque in ipsa, ut ita loquar, difficultatis viscera ingredimur; SS. Doctoris mentem, de gratiæ se ipsa efficacis, primis parentibus, & Angelis necessaria, magis, ac magis exploraturi.

II. Caudenti lapillo signandus mihi visus est insignis Augustini locus, ex cap. 9. libri 12. de Civitate Dei petitus, ubi questionem istam tractat ex instituto: Cur ex Angelis in gratia sanctificante conditis, ceciderint alii, alii steterint; unde hæc illorum tam diversa fortuna? Certe si Theologos, quibuscum res nobis est, consulere-mus, illico responderent, utrisque perinde Angelis versatilem gratiam esse datam; sed illos eam liberi arbitrii assensu efficacem secisse, istos dissentio inefficacem; eaque de causa stetit illos in

accepta justitia, istos cecidisse. Verum longe aliter questionem satisfacit Augustinus, confugitque ad majus Divinæ gratiæ adiutorium, stantibus Angelis datum, quam cadentibus. Isti autem, inquit, qui cum boni creati essent, tamen mali sunt, mala propria voluntate. . . . aut minorem acceperunt amoris Divini gratiam, quam illi qui in eadem perseverant; aut si utriusque boni equaliter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem pervenerunt, unde se nunquam casuros certissimi fuerunt. Quem locum usque adeo, ad gratiæ se ipsa efficacis necessitatem, in Angelis asserendam, decretorium agnovit Leonardus Coquæus, Augustiniani instituti Professor, librorumque de Civitate Dei Commentator omnium celeberrimus, ut de D. Augustini mente dubitari non posse fatetur.

III. Dubitant nihilominus aliqui, utque locum illum discretissimum cavillorum, reponant: Angelos stantes amplius quidem adiutorium habuisse, quam cadentes; non tamen adiutorium in statu viæ, qualis est gratia actualis efficacis, sed adiutorium in statu patriæ; quale esse ajunt, vel lumen gloriæ, quod isti recepere, non illi; ut etiam certam de beatitudinis perennitate noticiam. Ne quis porro id ab eis futiliter excogitatum existimet, observatione dignum ajunt, Augustinum majus illud adiutorium stantibus Angelis datum asserentem, atque docentem, lectores mittere ad librum præcedentem: Sicut jam, inquit, etiam in libro quem sequitur iste, tractavimus: porro eo in libro 11. scilicet cap. 13. conceptissimis verbis habet, bonos Angelos certam scientiam suæ sempiternæ felicitatis accepisse.

At nebulas illi offundunt lucidissima veritati: quamquam enim certo certius sit, Angelos stantes, a statu viæ ad statum gloriæ translatos, lumine gloriæ fuisse donatos, certamque perennitatis beatitudinis suæ noticiam accepisse: repugnat tamen, D. Augustinum nomine adiutorii, quod stantibus Angelis datum dicit, illum adiutorium patriæ intellexisse; seu sit illud lumen gloriæ, seu certa sit de beatitudinis perennitate noticia. Ex toto quippe Augustini contextu perspicuum est, agere illum de Angelis bonis, & malis, quales in via erant, idque investigare, quid illi præ aliis habuerint, ut in bona voluntate perseverarent. Quare dum ultimo pronunciat, fuisse illos magis adjutos, adiutorium intelligit datum illis in via: alioquin propositæ questionis minime satisfaceret. Uti plane si quaerenti, quid Petrus præ Juda haberet, ut præ illo salvaretur, reponerem, Petrum æternam salutem adeptum, gloriæ lumen accepisse, non Judam; non utique quæsito satisfecerem. Nec enim id a me quaeritur, nec quaeri prouderet potest.

Ad hæc: agit Augustinus de adiutorio Angelis dato, ut in bona voluntate perseverarent; seu, quod idem est, ut in accepta justitia perseverarent: sed quæcumque fingantur adiutoria patriæ, ea profecto non dantur, ut quis in accepta justitia perseveret; sed sunt potius adeptæ perseverantiæ præmia: de iis itaque non loquitur Augustinus, sed de adiutorio in via dato. Quid plura? Stans conceptissimis asserit Augustinus, Angelos fuisse amplius adjutos ad beatitudinem pervenisse; de adiutorio itaque loquitur, quo pervenitur ad beatitudinem: sed repugnat plane, adiutorium patriæ medium esse, quo pervenitur ad beatitudinem; cum contra potius detur, dum ad beatitudinem ventum est: de eo itaque non loquitur Augustinus. Certe quod non habetur nisi in termino, medium non est, quo pervenitur ad terminum: lumen autem gloriæ, quod ab Augustino adiutorii nomine intellectum efficitur, non habetur nisi in termino,

no,

no, seu in gloria: quomodo ergo medium esset, seu adiutorium, quo pervenitur ad gloriam?

Quare toto aberrat Offio Anonymus Annotator, dum inquit, D. Augustinum evidenter docuisse, Angelos bonos, amplius hoc adiutorium, tanquam permanens premium accepisse. Seu ut paulo antea dixerat, hoc amplius adiutorium Angelos recepisse, pro merito permanens suae: ut hinc colligere illi liceat, adiutorium esse patriae, non viae. Ubinam vero, ubinam id docuit, id asseruit Sanctissimus Doctor, cuius ne leve quidem vestigium extat, cum in libris de Civitate Dei, tum in libro de Correctione & gratia, ubi hoc ipsum pertractat argumentum? Imo scibit ille vice versa Cap. 11. de Corp. & gratia: Angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius permanens debent mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit, semper se in illa esse mansuros. Quibus verbis aperte significat, non amplius illud, de quo hic agimus, adiutorium, permanens premium in sanctis Angelis extitisse; sed beatitudinis plenitudinem, certamque de illius perennitate notitiam.

IV. Cernitis jam quot ea responsio, seu potius evasio ferat absurda: sed & majoribus absurdis implicatur, qui alteri datae responsionis parti adherent, quique D. Augustinum, majoris adiutorii nomine bonis Angelis dati, intellexisse comminiscuntur certam de sua beatitudinis perennitate notitiam. Tantum enim abest, ut certa de beatitudinis perennitate notitia adiutorium sit, quo pervenitur ad beatitudinem; ut potius non nisi adepta iam beatitudine possit haberi, beatitudinisque jam possessae corollarium sit. Prius enim est, quempiam esse beatum, quam certo scire, se de sua beatitudine nunquam esse casurum. Nec fati advertunt, qui eam Augustino mentem affingunt, quam esset absurda, quam inepta SS. Doctoris propositio, si eum, quem illi fabulantur, sensum haberet. Ea quippe Augustini propositio, boni Angeli amplius adjuvi ad eam beatitudinis plenitudinem pervenerunt, unde se nunquam casuros certissimi scirent, hunc sensum redderet: boni Angeli accepta certa notitia perennitatis suae beatitudinis, ad beatitudinem pervenerunt, unde scirent se nunquam esse casuros. Concione profecto, & eleganter! Scilicet cum scirent boni Angeli, se de sua beatitudine iam adepta nunquam esse casuros, ad beatitudinem pervenerunt, unde scirent se nunquam esse casuros? Quae major, per fidem Numinum! quae purior battologia fingi potest? Itane sensit, ita dixisse putabimus Augustinum?

Neque refert quod alicubi Augustinus beatitudinem adiutorium vocet. Aliud namque est, beatitudinem adiutorium dicere, quo quis continuo fit beatus: quod ait ille cap. 12. lib. de corrept. & gratia, utique non incongrue; cum visio beatifica, quae vera est beatitudo, formalis ratio censetur, qua quis beatus est, diciturque: aliud est beatitudinem adiutorium dicere, quo pervenitur ad beatitudinem: quod est absurdissimum. Qualem tamen Augustino sensum affingunt, qui locum ex cap. 9. lib. 12. de Civit. Dei, de adiutorio patriae, quod ipsamet beatitudo est, intelligi volunt.

V. Quare iis relictis diverticulis ac suffugijs, reponunt alii, Augustinum de majori adiutorio Angelis bonis in via dato fuisse locutum; non ideo tamen adiutorium illud efficax extitisse, quia majus est dictum: sed majus duntaxat ab Augustino fuisse dictum, intra lineam, ut ajunt, auxilii mere sufficientis, atque veritatis. Verum nec

ii feliciter discutat elidunt; quamquam auxilia sufficientia, & verfatilia, alijs alia majora poni possint. Augustinus enim non modo Angelos stantes magis adjuvi fuisse pronunciat, verum etiam majus illud adiutorium, tanquam certam causam assignat, cur ii praeter alijs in bona voluntate perseverarent: de hoc enim quaestio movebatur: At pone mihi quaecumque liberit adiutorium indifferens, atque verfatile; ex quo tamen indifferens supponitur, atque verfatile, certa bona voluntatis causa esse non potest: cum potius ab ipsa pendeat voluntate, ut ejus indifferencia tollatur, ad effectum aliquem producendum. Quandoquidem ab agente indifferenti, ut indifferens est, actus prodire non potest: Stat ergo inconcussum illud D. Augustini testimonium, nec ulla potest cavillatione declinari.

Sunt denique qui reponant, Augustinum de majori adiutorio stantibus Angelis in via dato fuisse locutum, non interno tamen, sed externo duntaxat, hoc est, ut ipsi quidem interpretantur, de externa protectione Dei, ne scilicet tam graviter, ut ceteri tentarentur. Quis id ferat? Stantium siquidem Angelorum plurimi nulla externa tentatione pulsati sunt, pro qua superanda, externa Dei protectione fuerit illis opus: Illi scilicet qui aliquo saltem momento viam consummarunt, antequam reprobi a Deo refugii fierent; ii quippe, a quo tentarentur, non habuerunt. Sed & quotquot Angeli tentati dicuntur, eadem profus externa tentatione pulsati sunt; nimirum malorum a iustitia excidentium exemplo; quod omnium mentibus perinde, atque ex aequo oberfabatur. Perperam ergo externa Dei protectio major stantibus Angelis data dicitur, ne tam graviter ut ceteri tentarentur.

VI. Neque vero quidquam roboris habet, quod ad illa suffugia cohonestanda observatum volunt: D. Augustinum, majus adiutorium stantibus Angelis datum asserentem, atque docentem lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. lectores mittere ad librum praecedentem, ubi simpliciter docet, bonos Angelos certam suae sempiternae felicitatis scientiam accepisse. Quasi vero id nobis quidquam officiat. Neque enim id inficiamus, habuisse stantes Angelos certam aeternae suae felicitatis notitiam: sed hanc ipsam notitiam fuisse negamus majus illud auxilium, quo adjuvi ad beatitudinem pervenerunt: cum potius non nisi adepta iam beatitudine, notitiam illam acceperint. Itaque primo illo D. Augustini testimonio bona in luce posita, praecelsissique suffugijs omaibus, pergamus ad reliqua.

CAPUT IX.

Alia D. Augustini testimonia proferuntur.

I. Audientiam alijs Augustini oraculis faciet quod extat in proximo, eodem scilicet nono capite lib. 12. de Civit. Dei; quod ut indicium relinquere piaculum fuerit, ita reliquis praemittere necessarium. De voluntate scilicet in universum tam Angelorum, quam hominum, ut primum a Deo conditi sunt, ita pronunciat SS. Doctor: Voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram, nisi ille qui bonam naturam ex nihilo sui capax fecerat, ex seipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem. Si porro otiosa est, iudice Augustino, bona voluntas a Deo condita, nisi eam Deus meliorem ex seipso faciat, avidioremque: non itaque istud operis relictum est in solis liberi arbitrii viribus, nulla nova Dei opitulante gratia: quod contraria ponit opinio.

Quin etiam quaestionem ex instituto movens,

An sancti Angeli, quem habent Creatorem naturae, eundem habeant bonae voluntatis (illius scilicet volitionis, quae perseverantiam) auctorem, per Spiritum Sanctum in eis Charitate diffusa? ita demum quaestio respondet: Confiteendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quod Charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis. Deus igitur novae cujusdam Charitatis Actualis effusione, bonam in Angelis voluntatem est operatus; qua ii ad Deum conversi, in bono in quo conditi sunt, perseverarunt, eo plane modo, quo eam in sanctis hominibus operatur; quibus hac in parte sanctos Angelos pares esse vult Augustinus. Gratia porro, qua Deus operatur bonam voluntatem, non est nude possibilitatis gratia, sed actionis; adiutorium est, quo fit opus, non adiutorium tantum, sine quo non fit; auxilium uno verbo efficax, non mere sufficientis: quod vel ipsi Augustiniani Theologi sufficiunt.

II. Accedunt nunc secundo in ordine ea SS. Doctoris locupletissima testimonia, quibus bonorum Angelorum perseverantiam, non liberi arbitrii facultati, quae verfatilem, & ancipitem gratiam fixerit, ac determinari, ascribit; sed adiutorio profus efficax. Sic Enarrat. in Psal. 32. exponens illud Prophetae Regii, verbo domini caeli firmati sunt, & Spiritus oris ejus omnis virtus eorum, verba haec ad Angelos per allegoriam infert: verbo domini, inquit, caeli, id est Angeli solidamentum fuerunt, nec ipsi firmitatem propriam sibi praestiterunt. Non enim habuerunt aliquid ex se tanquam supplementum, quod non a Domino perciperent: Spiritus enim oris ejus, non pars, sed omnis virtus eorum. En Angelos non modo a Domino solidatos asserit Augustinus; sed, & illos nihil a se ipsis instar supplementi habuisse docet; nec partem duntaxat virtutis, sed omnem a Domino suscepisse virtutem affirmat. Ceterum, si non nisi verfatilem gratiam, cujus virtus ex liberi arbitrii consensu suspensa est, accepissent Angeli boni, a se ipsis sui minus ex toto, saltem ex parte solidati dici possent; utpote qui liberi arbitrii facultate indifferenter gratiam, efficacem omnino reddidissent. Supplementum ad minus a seipsis addidissent: aliquid a semetipsis, atque ex proprio natura penam attulissent: uti profecto Theologi illi faentur quibuscumque res nobis est. At haec omnia Augustinus eliminavit, ut divinae gratiae totum ascriberet etiam in Angelis; quemadmodum totum gratiae ascripsit in nobis; iuxta illud quod lib. de dono perseverantiae cap. 6. tam pie, quam vere scripsit: Tutiores igitur vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus. Non sic tamen ut nihil agamus; sed quod ex efficaci Dei gratia sit, quod agamus. Sic enim totum est gratiae: uti cap. 13. ejusdem libri discrete significat: Non ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere: hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo.

III. Disertius longe multo hoc idem exequitur Augustinus, lib. de Novo cantico cap. 8. de Homine primo, in statu innocentiae condito sermone habens. Quid enim valeat, inquit, liberum arbitrium non adiutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi, ad bonum non, nisi adiuvetur a Deo. Quo ex loco duo colligo, quibus oppositum systema funditus evertitur. Primum, defuisse Adamo aliquod adiutorium, quod necessario erat adjuvandum, ut perseveraret in bono: quid valeat, inquit, liberum

arbitrium non adiutum, in Adam demonstratum est: at non illi profecto defuit gratia illa verfatilis, quam sufficientem Schola vocitat, auxilium sine quo, ut loquitur Augustinus, quod utique si defuisset, nunquam homo sua culpa cecidisset: erat ergo Adamo, ut perseveraret in bono, necessarium aliud adiutorium, quod utique defuit: Illud vero quodnam quae sit, illud est: cum praeferat efficax, & sufficientis, nullum sit? Alterum quod ex illo Augustini testimonio colligo, istud est: Adamum tamen in iustitia originali conditum, ad malum fati sibi fuisse, ad bonum minime, nisi Dei adiutorio juvaretur: erat igitur adjuvandum Adamus novo quodam auxilio, ultra illud quod ipsi continuo praesto erat: si novo egebat, profecto efficaci, quandoquidem sufficientis jam habebat.

Quare, ut libere dicam ipse quod sentio, recentium Theologorum illorum, quibuscumque res nobis est, ingenium fati demirari non possum, qui datam Adamo verfatilem gratiam, ejusque arbitrio quoad usum subditam dicunt: (quam scilicet ille pro nutu, & ingenua facultate efficacem reddere posset, ad bonum edendum, & perseverandum in bono) ut vel hoc pacto Deus ostenderet, quid posset liberum ejus arbitrium, praesertim ad bonum: Cum contra, tam aperte, tamque discrete pronunciet Augustinus, Deum tunc potius ostendisse quid posset liberum arbitrium duntaxat ad malum, non itidem quid posset ad bonum: imo hoc ipsum primum hominis arbitrium nihil se ipso, siveque relicto viribus, ad bonum valuisse. Quod verbis etiam amplioribus explicat Serm. 26. de verbis Apostoli. Hoc modo ergo ostendere voluit homini Deus, quid valeat liberum arbitrium sine Deo, (per auxilium efficacem adjuvante.) O malum liberum arbitrium sine Deo! Experti sumus quid valeat sine Deo. Ideo miseris facti sumus, quia sine Deo quid valeat experti sumus.

IV. In eundem plane sensum loquitur Augustinus in Enchir. ad Laurentium cap. 106. eademque ex verbis ejus consecutiones elicere licet. Homo, inquit, in Paradiso ad se occidendum relinquendo iustitiam idoneus erat per voluntatem, ut autem ab eo teneretur vita iustitiae (hoc est, ut in iustitia perseveraret) parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adjuvaret: utique novo adiutorio, praeter illud, pro jam erat instructus. Imo quod mirere magis, cum lib. 14. de Civit. Dei cap. 27. dixisset Augustinus, Adamum a Diabolo fuisse victum, quia de Dei adiutorio confidere noluit, statim addidit, quia & ipsum fidere de adiutorio Dei, non quidem posset sine adiutorio Dei: ut intelligamus, ipsum gratiae usum in homine primo fuisse ex gratia: atque ita nullam in statu innocentiae fuisse gratiam verfatilem, atque indifferenter, quae ingenua liberi arbitrii facultate determinanda esset. Sic enim bonus usus gratiae non ab ipsamet gratia esset, sed a libero arbitrio, gratiae verfatilitatem, atque indifferenciam determinante.

V. Doctrinam postrema hujusce Capituli parte a nobis explicatam, ac defensam, ne relinquat intactam Anonymus Annotator, quaerit admirandus: Quomodo adiutum non erat liberum arbitrium Adam peccantis, si jam receperat gratiam, & quidem magnam, fatente Augustino? Quomodo illi defuit aliquod adiutorium, quo necessario erat adjuvandum, ut perseveraret in bono; cum vel sic absque culpa cecidisset?

Quaerenti respondeat, si potis est, Augustinus; cujus ego lingua disputando locutus sum. Ille enim ipse est, qui liberum Adam peccantis arbitrium non adiutum, semel iterumque pronunciat.

ciavit. Si qua ergo illic est doctrinae repugnantia, ut novus Censor existimat, ea se primum implicavit Sanctissimi Doctor, cujus ego & verba, & sensum expressi. Non est tamen, ut fingitur, sed omnia apprimè congruunt, modo varia gratiarum genera distinguantur. Habuit Adam, cum a Deo primum est conditus, gratiam, imò & magnam, in habitu, seu in habitibus positam, quotquot ad constituendam originalem iustitiam consuebant: Habuit etiam cum peccavit, Adjutorium sine quo non fit opus, quod certe si illi, vel Angelis desuisset, non utique sua culpa cecidisset. Lib. de corrept. & grat. cap. 11. At non habuit, cum cecidit, adjutorium quo fit opus, seu per se efficac: quale ego & Adamo, & Angelis ad standum, necessarium agnosco, & laudatis Augustini momentis evinco. En tibi paucis ænigma solutum, & conciliatam, quæ novitum duntaxat Theologum morari poterat, in speciem dissonantiam.

CAPUT X.

Novo Augustini oraculo Fulgentii testimonium adducitur.

I. Idem robor, & quidem non minimum addit præclara D. Augustini sententia, Epist. 186. quam etiam Concilii secundi Arausiaci Patres in suos Canones transfuderunt. *Natura enim humana etiam in illa integritate in qua condita est permaneret, nullo modo se ipsam Creatore suo non adjuvante servaret. Cum igitur sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit; quomodo sine gratia Dei potest reparare, quam perdidit? Quo ex loco duplex ego momentum elicio. Primum istud est: Natura humana, iudice Augustino, etiam integra, qualis nimirum primitus condita est, non poterat seipsam, Creatore suo non adjuvante, servare; sed si non eguisset auxilio per se efficaci, se ipsam Creatore suo non adjuvante servasset: quandoquidem auxilium sufficiens quod habebat, non ei dabat actum perseverare, sed posse perseverare duntaxat. Quid etiam, quod Augustinus his verbis aperte pronunciat, hominem in integritate conditum, destitutum fuisse aliqua gratia, seu aliquo adjutorio, quod illi ad perseverandum in ea integritate necessarium erat? Creatore suo non adjuvante, inquit, sine gratia Dei salutem custodire non potuit: at destitutus non fuit gratia, seu adjutorio sufficienti, & sine quo non: igitur destitutus fuit adjutorio efficaci, eoque ad perseverandum necessario. Alterum, & quidem longe gravius inde momentum elicio. Probat eo loci D. Augustinus adversus Semipelagianos, argumentum, quod ajunt a minori ad majus, hominem sine Dei gratia reparare in præfenti statu non posse, quod perdidit, quia sine Dei gratia in statu innocentie custodire non potuit quod acceperat: disertissima verba sunt: *natura humana, etiam in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo tamen modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret: ejusdem itaque, quantum ad efficaciam, gratia necessitatem agnoscit utroque in statu: alias argumentum ex ea abhorum statuum comparatione petitum, frivolum esset: at ulro citroque fatentur Theologi, quibuscum res nobis est, gratiam se ipsa efficacem prorsus esse necessariam ad reparandam nunc innocentiam amissam: igitur eamdem quoque fatentur necessariam oportet, ut Adamus acceptam innocentiam custodiret.**

Et quidem si Augustinus non nisi veratilem gratiam in statu innocentie agnovisset, tantum abest ut eo argumento preffi fuisset Semipelagia-

ni, ut reparationis gratiam efficacem in nobis agnoscerent; ut potius illud idem argumentum in Augustinum retorquissent, in hunc ferme modum: Eadem, te ipso iudice, desideratur gratia, ut homo possit modo reparare quod perdidit, quæ in Adamo desiderabatur, ut posset servare quod acceperat: sed ut posset ille servare quod acceperat, non nisi gratia veratilis, liberoque arbitrio subdita desiderabatur: igitur & hæc sola desideratur modo, ut possit modo reparare quod perdidit. Quo vel uno totam Augustini doctrinam ab imo sustulissent. Verum stat, æternumque stabit Augustini in Semipelagianos argumentum, alteri quod modo defendo principio nixum, gratia scilicet efficacis, in statu etiam nature innocencie penitus necessariae.

II. Hinc videas quantum aberrat a scopo Anonymus Annotator, qui ut Augustini simul & facræ Synodi oraculum cavilleretur, reponit: de gratia habituali, seu de continua, ut ait, Dei operatione, & inspiratione amoris Divini, quo Deus hominem creando uberius informaverat, illic agi; non de peculiari, & actuali adjutorio, quo fuerit Adamus, dum a iustitia excidit, destitutus. Agunt enim vero contra Semipelagianos; utque illos acris exagrent, Adami exemplum urgent: qui cum sine gratia Dei, iustitiam, quam primum acceperat, custodire nequiverit; multo minus lapsus homo, sine gratia Dei, poterit iustitiam reparare quam perdidit. Porro Semipelagianis, non gratia habitualis, sed actualis, & quidem efficacis necessitatem inficiabantur, ut posset lapsus homo amissam iustitiam reparare: nec adeo erant habetes, ut habitualem gratiam, seu inspirationem habitualis amoris, ad amissæ iustitiæ reparationem, necessariam negarent; cum hanc ipsam habitualem gratiam, habitualemque charitatem, formam esse reparationis illius; seu justificationis peccatoris agnoscerent; quod soli etate nostra negarunt Lutherani, & Calvinistæ. Hanc igitur actualem, efficacemque gratiam Adamo, ad iustitiam retinendam, necessariam posuit Augustinus, & cum illo Synodus Arausiacana: alias nihil in Semipelagianos, de hac ipsa unice disputantes, productum Adami exemplum valuisset.

III. Novit id profecto D. Fulgentius, Sancti Augustini discipulus, ejusdemque doctrinae admirator, & heres, lib. 2. ad Thersyandum Regem cap. 2. ubi Angelos universos perinde casuros, fuisse docet, nisi Deus aliquos, quos vellet ex illis, virtute sua munivisset, ne & illi cum cæteris caderent: *Profecto cognoscitur uniformi cunctos opprimi potuisse ruine consortio, nisi quos vellet, a casu pravitate virtus illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari, depravari non possit. Peculiariter itaque virtute, aliquibus Angelis, quibus singulariter voluit, a Deo concessa, factum est, ut in bono perseverarent. Ea porro virtus quam fingi potest, nisi gratia efficacis? quandoquidem gratia sufficiens, seu adjutorium sine quo non, præterquamquod non est virtus agendi, non aliquibus duntaxat Angelis libera Dei voluntate data est, sed plane omnibus.*

Ludit enim vero, illudique, qui virtutem illam, de qua illic Fulgentius dicitur, Verbi Divinitatem esse respondet, gratiamque ut loqui libet increatam, ipsamque incommutabilem Dei Verbum; cujus Divinitatem contra Arianos probandam sibi sumperat Ruspensis Episcopus: non virtutem ex ipso Dei Verbo diffusam, bonisque Angelis collatam, ut præ aliis in accepta iustitia perseverarent; quam gratiam, & quidem efficacem de more dicimus. Quamquam enim ita foret, staret perinde quod ex D. Fulgentio petitur argumentum: bonos scilicet Angelos peculiariter, singu-

singulariterque Divina virtute, hoc est, a Deo ipso fuisse protectos atque defensos, ne & ipsi communi ruina involverentur: atque ita illorum perseverantiam, ex liberi arbitrii virtute, generalibus, ac veratilibus duntaxat auxiliis adjuta, non esse profectam. Nec satis advertit, qui hoc nuper suffugium quaesit, ut D. Fulgentii testimonium eluderet, traficum fecisse Ruspensem Episcopum a Christo Domino, Verbo Dei, substantialique Dei virtute, gratiaque increata, ad creatam Dei gratiam, virtutemque accidentalem, quæ per Spiritum Sanctum, in Angelos, hominesque Divina liberalitate diffunditur. Unde & Christum Dominum esse ait, virtutem, quæ adjutorium præstat; hoc est, virtutem substantialem, quæ virtutem præstat accidentalem; Angelo quidem stanti, ne cadat; homini lapsu, ut furgat. Cum id absque virtutis alicujus effusione præstare non possit.

Tum postea minutatim exponens, quæ gratia bono Angelo necessaria fuerit, ne caderet; eandem illi necessariam fuisse respondet, qualis est homini lapsu necessaria, ut a peccato refurgat; & hæc vero qualis est, nisi efficac? *Non alia (virtus) Fulgentii verba sunt, cap. 3. stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsu hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata, in hoc, ut surgeret; in illo, ne caderet. In illo, ne vulneraretur; in isto, ut sanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sinit. Illius esca, istius medicina. Efficacem igitur gratiam utroque in statu necessariam novit fidelissimus Augustini discipulus, quo nemo melius Magistri sensum ebibit, nemo feliciter explicavit: idque tantum inter utrumque statum discriminis posuit, quod Angelo, & homini sano gratia cibi esset, lapsu, ac fauci medicina. Nec immerito: Demus enim hic duos homines, agrum unum, sanum alterum: amobus vero necessitas incumbat in locum præruptum alicquem ascendendi: utrique scala erit opus, ut ascendat, nempe ob ingentiam corporis gravitatem, quod sursum ferri per se se non potest. Aegro tamen ultra scalæ subsidium medicina erit opus, ut ante sanetur, quam scalæ pedem admoveat. Non ab simili plane forte, gratia efficaci quovis in statu eget Homo, vel ob id unum, quod pietatis, & sanctitatis opus nativæ cuiusque creaturæ vires excedat; tamenovo insuper titulo gratia eget homo lapsus, ut a fauciata voluntatis infirmitas sanetur, ac reparetur.*

Expressit id erudite Doctor Anglicus 1. 2. quest. 109. art. 9. Sic igitur, inquit, *virtute gratuita superaddita virtuti nature indiget Homo in statu nature integre, quantum ad unum, scilicet ad operandum, & volendum bonum supernaturale: in statu autem nature corrupte, quantum ad duo: scilicet ut sanetur, & ulterius, ut bonum supernaturale virtutis operetur. Ulterius autem in utroque statu indiget Homo auxilio Divino, ut ab ipso moveatur. Quæ duo, & D. Fulgentii, & D. Thomæ testimonia alta mente desigere juvat, ne gratiam Conditoris actualem, Angelis, ac primis Parentibus necessariam, a gratia Salvatoris nobis nunc necessaria ideo distinctam putemus, quod illa sufficiens duntaxat esset, atque veratilis, ista efficac a se ipsa. Cum contra, eo tantum ex capite gratiam Conditoris, & gratia Salvatoris discrimen habeant, quod prior adjuvans duntaxat esset, altera adjuvans simul & sanans; illa quidem ad modum cibi, ista ad modum medicinæ; illa ex liberalitate Conditoris, ista ex misericordia Salvatoris.*

IV. Nec audiendi sunt qui reponerent, Dei gratiam, quæ Fulgentio iudice operata est, in stantibus Angelis, ut ne caderent, ne vulnerarentur, Serry Tom. VI.

nec infirmarentur, peculiarem quamdam, singulari remque gratiam non fuisse, iidem in statu viæ concessam, quæ præ cadentibus juvarentur, ut ad terminum pervenirent: sed ipsam potius beatitudinem extitisse, iidem dum terminum affecuti sunt, retributam. Adeo ut nihil aliud sibi voluerit Ruspensis Episcopus, quam Deum bonos Angelos firmasse, consolidasse, atque ut ita dixerim, in bono fixisse; accelerata ac properata illis beatitudine; ne si longiores in via moras duccerent, ipsi quoque perinde ac cæteri laberentur.

Perfpectum enim est, de majori, uberiorique gratia, bonis Angelis in statu viæ concessa locutum illic esse Divum Fulgentium.

1. Quia gratiam utrique statui necessariam mutuo conferret, ac secum invicem comparat SS. Doctor: *Una est, inquit, in utroque operata gratia, in hoc, ut surgeret; in illo, ne caderet: Ea porro collatio, & comparatio inepta esset omnino: si de gratia homini lapsu in statu viæ concessa, de gratia vero Angelis in statu patriæ retributa, loqueretur.*

2. Quod de humana natura Fulgentius dixerat, hoc idem de Angelica dicit, ut illas ea in re pares faciat: *Illam scilicet aliene opis indignam pronunciaverat, istam juvenis egenam affirmat. Ut ergo naturam humanam utriusque alienæ opis egenam intelligit, ita utriusque naturam Angelicam juvenis egenam debuit intelligere: ne vel sic dispares essent ambæ naturæ, quas pares ostendere vult.*

3. De gratia Angelis necessaria ne caderent, Fulgentius loquitur. Cum enim dicat, *Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria; eam perinde Angelo necessariam fuisse supponit, ut ne caderent. Porro nemo est qui dixerit, beatitudinem fuisse bonis Angelis necessariam, ne & ipsi perinde ac cæteri caderent; quasi vero longiores in via ducendo moras, abstinere a peccato nequiverissent. Nomine itaque gratiæ bonis Angelis a Deo concessa, ne a iustitia deciderent, beatitudinem illis in patria retributam non intellexit Ruspensis Episcopus; sed viæ, ut Schola loquitur, adjutorium, gratiamque suapte natura operantem, & efficacem, quæ in illis operaretur, & velle, uti in lapsis hominibus operatur.*

Totam hujusce doctrinæ summam brevi verbo complexus est idem ille Fulgentius lib. de Trinitate Cap. 9. docuitque, quæ cautela Augustini Magistri sui dicta excipere debeamus, dum bene agendi, perseverandique voluntatem in Adami facultate relictam affirmat. *Homo, inquit, rectus, . . . habebat liberum arbitrium, ut posset bonus esse, si vellet; non quidem sine gratia Dei, quæ ipsa regeretur voluntas, ut vellet. Nempe subintellectam semper esse vult Dei gratiam actualem, eamque non subditam voluntati, sed quæ voluntas ipsa regatur, ut velit.*

CAPUT XI.

Rationibus Theologicis agitur ab Augustino delibatis. Prima ex Orationis necessitate petitur, & Gelasii R. P. auctoritate defenditur, & confirmatur.

I. Divi Augustini auctoritate pugnativum hæc genus, jam nobis est ratione Theologica disputandum. Ratione Theologica dico, non Philosophica. Abst enim ut eorum vitio laboremus, qui cum Theologiam ex officio, ac muneris debito tractandam sibi sumperint, spinis ac verpetis Philosophicis perpetuo hærent: quidquid probandum habent, ex Philosophicis institutioni-